GREGORIUS MAGNUS

Zwettl, um 1200 Seite 2v

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31655
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

Incipit in expositione beati JOB
moralium GREGORII pape
per contemplationem sumpta liber
undecimus. Pars Tertia.

QUAM-
VIS IN PRO-
lixo opere culpabilis
esse stili mutabilitas
non debet, ne quis tamen
me ex locu-
tionis mee immutatione reprehendat,
in epistola libris premissa causas reddidi, cur
tertiam huius operis partem ad aliarum usque si-
militudinem emendando minime perduxi.
Quibus scilicet exclusis, hoc quoque addidi quod ab
eo versu quo dicitur habundant taberna-
cula predonum eiusdem partis expositio in-
cipit, et usque ad hoc quod scriptum est dulce-
do eorum vermis disserendo pertingit. Que
nimirum tam multa sunt ut in uno cor-
pore comprehendi non possint, nisi sub mag-
na brevitate dicerentur. Cui ergo ab aliis ac-
tibus vacat, legat cetera multipliciter
dicta; cui vero ad studiose legendum non vacat,
huius partis ei brevitas placeat, in qua non
tam que sentimus dicimus quam ea que
legenda signamus. Igitur quoniam in ea multa
sicut me loquente excepta sunt, ita dereli-
qui, immutationem stili mei lector meus equa-
nimiter accipiat, quia et sepe eorumdem cibos eden-
tibus diversitas coctionis placet. Sed quotiens
partes singulas ad legendum sumis, redu-
cere semper ad memoriam eam quam proposui
sui cause originem stude, quia et per
beatum Iob qui dolens dicitur passiones domini
eiusque corpus, id est sancte ecclesie designantur,
et amici eius hereticorum tenent speciem.
Qui ut sepe iam diximus dum deum defende-
re nituntur offendunt, quia dum fidei consulunt
sanctorum mentem fortiter affligunt. Nec ta-
men per cuncta que locuntur a veritatis
cognitione desipiunt, sed plerumque et
stultitias prudentia et fictis vera permiscent,
ut dum ex veritate aliquid proferunt, faci-
le ad falsitatem trahant. Unde amici quoque be-
ati Iob non despicabilia, immo autem mira sunt que
locuntur, que tamen sanctus vir aliquando repro-
bando convincit, aliquando vero approbando
suscipit, atque ad usum rectitudinis pertra-
hit etiam que ab eis recta, sed non recte prefe-
runtur. Itaque inopiam suam despicientes
despicit, atque in sterquilinio corpore positus
in quanto virtutis culmine apud se sede-
at ostendit, cum nihil esse presentis vite
divitias memorat, quas habundare et
reprobis narrat dicens: Habundant ta-
bernacula predonum, et audacter provo-
cant deum, cum ipse dederit omnia in
manibus eorum. Facile est hominem tunc divi-
tias despicere cum habet; difficile vero est
eas cum non habet viles estimare. Unde
patenter ostendit quantus contemptus ter-
renarum rerum in beati Iob cogitatio-
ne fuerit, qui tunc dicit nulla esse que
habundant reprobis, quando omnia amisit.
Dicit ergo: Habundant tabernacula predo-
num, et audacter provocant deum, quia ple-
rumque magis contra deum superbiunt,
quo ab eius largitate etiam contra meritum
ditantur, et qui provocari bonis ad meliora